



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

am hęc in terris non diu vivent : justum enim
 iudicium est, ut, qui vitam eripiunt, vitam
 perdant. Illud, *non dimidiabunt*, non est ac-
 cipiendum mathematicè ; sed indicatur tan-
 tum vitæ brevitatis. Tum Propheta concludit
 verbis sibi familiaribus : Ego autem, tum ut
 liberer à proditoribus ; seu occultis, seu mani-
 festis ; tum ut non incidam in pœnas impio-
 rum, in puteum interi ūs ; ut dies mei in me-
 dio cursu non deficient, sperabo in te, Do-
 mine, non in viribus meis.

PSALMUS LV.

Titulus : *In finem pro populo, qui à Sanctis
 longè factus est. David in tituli inscrip-
 tionem, cùm tenuerunt eum Allophyls in Geth.*

*Titulus exprimit Argumentum, authorem,
 & excellentiam Psalmi : sed hæc omnia pen-
 dent ex historiâ L. 1. Reg. C. 21. Fugerat.
 David fugiens Saulem, qui eum quærebat ad
 necem, pervenit ad Achis Regem Geth Philis-
 tæum. Sed à Philistæis agnitus, & detentus
 tanquam hostis ipsorum, simulavit insaniam,
 & furorem ; quo modo è manibus eorum elap-
 sus, venit in speluncam quandam, ubi ad eum
 congregatus est populus 400. hominum exu-
 lum, & miserorum : qui scilicet, elongatus à
 Sanctis, seu ad tabernaculum Dei accedere*

non poterat , sed cum Davide huc illuc vagabatur.

Argumentum igitur Psalmi est deploratio miseriarum Davidis , & populi ejus. Author , & excellentia Psalmi continetur in illis verbis: David in tituli inscriptionem , & sensus est : Psalmus Davidis , scriptus ab eo , quasi incisus in columnâ , ad memoriam sempiternam. Et occasio scribendi fuit illa evasio de manibus Philistinorum per simulatam stultitiam , quando tenuerunt eum Allophyli , seu Philistæi in Geth.

ψ. 1. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo : totâ die impugnans tribulavit me.

In speluncâ exul, & inops delitescens, misericordiam postulat à Deo, qui miserorum unicum solet esse refugium. Quoniam conculcavit , tribulavit , despexit me homo, Saul: non semel mihi nocuit, sed omni tempore molestus fuit. Dicit homo , non Saul , ut opponat hominem Deo ; quasi dicat : Tu Deus miserere , quia homo est , qui tribulat : Cælum aspicio , dum à terrâ despicior : ad Dominum confugio , dum conservus me persequitur

ψ. 2. Conculcaverunt me inimici mei tota die : quoniam multi bellantes adversum me.

Non

Non solus Saul, sed omnes servi ejus Davidem persequerentur, & contere nitebantur.

ψ. 3. *Ab altitudine diei timebo : ego verò in te sperabo.*

Ego, etsi tam multos habeam inimicos, tamen non ab illis timebo, sed à Divinis judiciis, quæ procedunt ab altissimo lumine, quale est in meridie, quod lumen etiam intima cordium penetrat : sed cum timore spem adjungam, & in misericordiâ, ac bonitate confidam.

ψ. 4. *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi : non timebo, quid faciat mihi caro.*

Dat rationem fiducia, quæ nititur promissione Regni, Davidi per Samuelem factâ 1. Reg. C. 13. Fretus ope Dei laudabo aliquando promissiones mihi factas à Deo, tanquam verissimas, si scil. completæ fuerint. *In Deo speravi*, qui implebit promissiones suas ; & ideo non timebo persecutiones hostium meorum, qui ad Deum comparati, infirmi, & fragiles sunt.

ψ. 5. *Totâ die verba mea execrabantur, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.*

Redit ad explicandum malitiam hostium suorum, quos ait toto tempore, quo apud illos

fuit, non cessasse vituperare omnia verba, & facta ejus : & excogitare, quomodo eum perderent.

ψ. 6. *Inhabitabunt, & abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt.*

Addit aliam hostium malitiam. Simul habitare solebant mecum, ut amici, & contubernales ; interim tectè, & occultè, machinabantur dolos, gressus, actiones meas observabant, ut me ad casum impellerent.

ψ. 7. *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos : in ira populos confringes.*

Praedicat ruinam hostium, Deo illis redente, quod proximo facere cogitaverunt. Sicut in abscondito observantes, expectaverunt vitam meam, ut eam perderent ; ita tu Deus nullo modo salvabis eos, sed in viâ confringes, & ad interneccionem persequeris ; ut factum est 2. Reg. C. ult.

ψ. 8. *Deus vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrimas meas in conspectu tuo.*

Postquam de supplicio hostium locutus est, redit ad precandum pro se. Flens narravi in oratione cursum vitæ meæ, transmigrations, varietates, labores ; & tu misericors Pater aspeixisti lacrimas meas.

ψ. 9. *Sicut & in promissione tua ; tunc convertentur inimici mei retrorsum. Si-*

Sicut promisisti , te exauditurum orantes cum lacrimis , ita posuisti lacrimas meas in conspectu tuo , ut eas exaudires. Et cum audieris, hostes mei fusi, fugatique dissipabuntur, & peribunt.

ψ. 10. *In quacunq[ue] die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es,*

Concludit gratias agendo , & laudando. Ecce expertus sum , quòd in quâcunq[ue] die invocavero te , tu exaudiendo declarabis , te meum esse Deum.

ψ. 11. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem : in Deo speravi , non timebo , quid faciat mihi homo.*

Vide ψ. 4. Primò dicit *in Deo* , dein *in Domino* : confidit in Deo , ut iudice , quod significat nomen Dei ; & ut executore justitiæ , quod significat nomen Domini, cui omnia serviunt.

ψ. 12. *In me sunt Deus vota tua, quæ redam , laudationes tibi.*

Pro omnibus beneficiis pollicetur se persoluturum vota laudum , in tribulatione concepta. In intimo corde servantur , ut non excidant, promissiones tibi factæ à me, quæ continent laudes, & gratiarum actiones tibi assidue à me concinendas.

ψ. 13. *Quoniam eripuisti animam meam*
de

de morte, & pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Hæc est summa beneficiorum Divinorum. Quia vitam meam servasti ab imminente morte, sive à Saule, sive ab Achis Rege Philistinorum: servasti etiam à morte spiritali, seu peccato, ne scilicet inter tantas tentationes provocatus, Saulem interficerem, aut ei maledicerem. *Ut placeam &c.* in lumine vitæ hujus temporalis, quo mortui carent; & in lumine fidei, & gratiæ, quo carent infideles, & peccatores, ut tandem perveniam, ad lumen gloriæ cælestis, quo fruuntur illi, qui soli verè, proprièque viventes dici possunt.

PSALMUS LVI.

Titulus: *In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret à facie Saul in speluncam.*

Psalmus hic conscriptus est occasione historiae, qua refertur 1. Reg. C. 24. Nam David Saulem fugiens, absconditus est cum aliquot ex suis in speluncam Engaddi: & cum Saul casu ad eam speluncam venisset, & solus intraret, ut purgaret ventrem; David, qui in parte interiore latebat, incitatus à suis, ut interficeret Saulem, noluit id facere. Ex hac historia